DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO
VIRGINIQVE DEIPARÆ,
ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXIV. APRILIS,
M. QVINTINO THEVENYM Doctore Medico moderatore.

898

An Apoplexiæ, etiam pituitosæ, venæ sectio?

QOEMA

VÆ res in natura nomen & notionem causarum sunt sortitæ, sæpiùs aduersantium sibi euentorum deprehenduntur authores, neque rarò fit, vt quod boni est opifex, idem causa mali dicatur, τὸ ξύμφωνον διάφωνον: ita sol ille qui Astrorum principatum obtinet, efficit modò vt omnia floreant, & in suo genere quæque pubescant, modò vt rigentia frigore inhorrescant, & exanimentur: prodest & nocet animanti propriùs & familiaris humor, ἔμφυτον ὠφέλιμον, ἔμφυτον ἴδιον ἐλαβερόν. Gratiosus ille succus qui alteram nostri ortus partem sibi vendicat & quo singulæ corporis partes irriguæ nutriuntur vbertimque succrescunt, nullo non die ad necessitatem mortis deducit & quam alit & fouet flammam extinguit, interdum vi sua, dum vel supra iustam & naturæ congruentem mensuram accumulatur, vel cum ruptis conceptaculis partem aliquam opprimit: Aliàs vt adiuuans causa, cùm impurus velut ὑγρὸν mixturam facit cum humore superuacuo: nascitur hinc malorum ilias, quorum non postremum est, quando præ angustia non patet aditus impellentibus. Quocumque autem nomine sanguis fuerit infensus homini, ritè primùm exigetur è corpore non vsu & administratione purgantis medicamenti, sed venæ sectione, quæ tum omnium morborum quicumque ex sanguinis vbertate, vel ex quauis illius eruptione ortum acceperunt, propria atque conueniens est medela, tum illorum qui ex impura plenitudine emerserunt, tandemque potest illa non incommodè vias arctiores recludere & calorem, nè is in suo restinguatur foco, liberalius ventilare.

VOD vniuersitatis templo cœlum, hoc minori mundo cerebrum, illius prospero & salutari vigore motu & influxu si indigeat, quod mortale & caducum hæret hac in ima sede, torpet & velut emoritur: hoc si viuidos spiritus quorum est fons & opifex non inspiret vt par est, graues oboriuntur offensiones in homine, nunc terreni tremunt artus, nunc moribunda resoluuntur membra & aliquando soporem mortis consanguineo, mens & sensus feriati cessatione languent: in nulla verò maioris obuersatur imago periculi, quàm cùm homo quasi fulguritus repentè collabitur, vocis, sensus & motus expers, excisa ratione & violato iudicio, ferè sola respiratione dissidens à mortuo, quæ & difficilis admodùm euadit & cum stertore grauissimo, hoc est cum æger opprimitur illo corporis affectu mortifero quidem & difficillimo, non tamen peracuto, quem ἀφωνίαν, siue ἀποπληξίην rectè dixeris.

ST igitur apoplexia repentina sensus & motus omnisque functionis animalis priuatio, quam non genus sed gradus variat, dùm quædam mitior, quædam vehementissima, quædam intermedia perhibetur: quæ harum fuerit grauior aut leuior, maior vel minor respirationis noxa indicabit, sicut & stertor nimiùm vel minùs vehemens, nec etiam vniusmodi est, si æstimetur ex eo cur illa accidat; hinc, alia soboles est sanguinis è vasis inuitùs effusi, alia φλεγμονώδη διάθεσιν causatur: est quæ fit cum vi concussionis & impetu fracta ac depressa calua, omenta cerebrumque premit, forsan & spiritu torpente ac immobili redditò homo ἀτρόβλητος conspicitur: denique crassus & pituitosus humor apoplexiæ parens esse solet, cui propterea ætas illa quæ sanguini primùm, mox ingenio suum frigus insinuat magis opportuna, sicut & cognata temperies: ferè autem hæc omnia calamitosum hunc pariunt affectum, cùm nernorum originem in cerebri basi ad eas reducunt angustias, vt intercludatur spiritibus commeatus liber, in destinata sensui & motui organa, vndè tandem propinqua apoplexiæ causa est spirituum defectus in neruis.

ENTIVNTVR ἀποβολισμὸν hunc lethargus, carus, Πληξὶς ὑστερική, syncope, epilepsia, distillatio vocem includens: quæ ἀδελφισμένα suis distinguenda notis, antequam Diuorum velut auxiliatibus manibus iacens & attonitus æger erigatur: quocumque verò in loco fuerint res illius constitutæ, atque dùm omnes conclamant velut ad exeuntis spiritus fugam, incunctanter ab indicante monstratam feret opem diligens Medicus, omneque feret punctum si minoris mundi reseret cœlum, vndè salutares radii possint in musculos, & sensus membra diffundi; magna quidem res, nec leuis artis exercitatio: vniuersam itaque explicabit industriam, reuellet, discutiet, vacuabit, atque cùm salutem sibi proponat instaurandam, nihil præposterè decernet: deiuuarent ægrum statim propinatæ aquæ apoplecticæ, cathartica vulgaria, ptarmica, emeticum, sempérque repellens erit noxium, si malum committat pituitosus humor.

PPOSITE verò curabit ad sanandum, si attentiùs cogitet causas quibus apoplexia continetur: in ea quam excitant φλεβῶν ἔκπλήξεις, quæque se antecedentibus hisprodidit indiciis, turgidis colli venis, victu lautiore, desidiosa vita, cum venæ suprà modum plenæ tensionis inuehant sensum, sine mora incidenda dextri cubiti interna vena: iugulares etiam secare quid vetat? Quod si vi sanguis exciderit è propriis conceptaculis, idem remedium ad hoc incommodum præclarum erit, sic enim ruens impetu materies reuelletur. At quæ fœtus est crudelior superuacaneæ cerebri pituitæ, generoso etiam hoc præsidio curari desiderat, scilicet ne sanguis vt συναίτιον se præbeat adiutorem pituitoso cerebri excremento iam iam cerebri basi incumbenti & angustiam principii neruorum molienti, aut saltem ne sit id absque quo esset, non iaceret homo velut mactata victima, τὸ νόσημα μικρόν ἐστι τοῖς τὸ ἐγκεφαλικὸν ἐκπεπλαικόσι, ᾧ ἔστι καθαρὸν ὑγρόν. Sed & causæ nihil est, quin tempestiua sanguinis effusione remigret è vestigio qui excidit humor, morbi causa, in exinanita vasa. Tùm demùm ventilato calore, imminens suffocationis periculum & instantem natiuæ tẽperiei cordis dissolutionem, illud auxilium retardabit. Omninò his in affectibus, aliud curationis genus vix vnquam sanitatem restituet & si non omninò liberet, mortem tamen interdùm remorabitur, cùm spiritibus duntaxat anteà cerebri carceribus oclusis eius ope detur exitus, qui statim velut agmine facto diffunduntur in corpus vniuersum, quorum aduentu saluberrimo, sensus & motus in membra redit.

344

Ergo Apoplexiæ, etiam pituitosæ, venæ sectio.

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS CRESPON Parisinus. A·R·S·H·M· DC·XLII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Simon le Lettier.
M. Sebastianus Rainssant.
M. Petrus Guenaut.

M. Nicolaus Brayer.
M. Cyprianus Hubaut.
M. Guydo Patin.

M. Simon le Tellier. Med. Reg.
M. Simon Bazin.
M. Nicolaus Pietre.

F.E.P. BIBLIOTHEQUE